ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo Viro Constantino Hugenio
Caspar Barlaeus S. P. D.

Cum litterae tuae mihi traderentur, Hugeni Nobilissime, iam Leidam reliqueram, veteris Musarum mearum hospitium. Eam discedens apud animum meum sic allocutus fui: Leida vale, nostris statio gratissima Musis,
Iam studijs facilis, iam minus aequa meis.
Leida vale. et multos qui se tibi credidit annos,
Iam precor augurio prosperiore iuva.
Imus in Amstelliam (sic fatis volvimur) urbem.
Quoque vocant Procerum vota deusque sequor.
Vivere sic nostrum non una sede morari est.
Patria virtuti creditur omne solum.

Ipsis Calendis May huc appuli, cum uxore et reliquis familiae meae consectarijs. aliquot dies disponenda supellectili perierunt, quae causa fuit, quod citius non responderim, à charta et calamo destitutus. Iam quaeque suis stant vasa locis, tabulaeque librique, Et peragunt munus mensa pluteique suum. Ad docendum omnia hic adhuc imparata. Nec mora in damno erit, contendentibus inter se Leidensibus et Amstelodamensibus de Iure publicè hic docendi. Illi Academiarum hoc proprium esse volunt, et sibi regio privilegio concessum. Hi inter Scholam Illustrem et Privilegiatam distinguunt, et iura promovendi, immunitates, ac specialis fori gratiam, nec non studiorum universitatem Academiae prae caeteris dare contendunt. Urgent ad haec exempla externa et domestica illustrium scholarum, Bremae, Steinfurti, Hamburgi, Dantisci, Harderwici, Daventriae, olim Dordraci, nuper Middelburgi, quae est longè infra Academiarum dignitatem esse. Utraque pars Curiae judicio stabit aut cadet. Ita visum Principi. Sed stipulati sunt Amstelodamenses, uti intra mensem decidatur quaestio. Interea mercantium hic vultibus ac moribus adsuescam, et Yam Amstelamque mihi faciles reddam, ne, qui propitio Rheno Leidae versus panxi, his invitis pangam. Aliquot post me diebus venit huc cum familia omni D. Vossius, eandem mecum fortunam inter Mercatores experturus. Faxit ille, qui Sapientiae omnis ac doctrinae fons est et largitor benignus, ut haec coepta nobis ac Reip. huic feliciter cedant. De Iuvene isto nobili, ita habe. Decretum nobis convictores non alere, praeterquam eos, quibus naturae iure alimoniam debemus, quos Aristoteles partes nostri vocat, postea parentum laetas propagines et ἔκγονα. Si tamen me adolescentis commendatissimi ingenio obstetricari posse putas, non deero officio meo, et scias commendationis tuae non leve apud me fuisse pondus. Uxor iam per viginti annos culinae ac foco affixa Otium Divos rogat. Quid, quod plaustrarius librorum numerus omnes domus meae stationes occupaverit. Non tam laxis hic aedes habitantur, uti alibi. Ingens hic terrae et aedis pretium, et quorum cupiditati vix sufficit Universum, non habeant ubi commode pedem ponant, ut cum Hebraeis loquar. Leidam meam, hoc est, Musarum sedes, doctorum coetus, ambulacra amoenissima, et quae sunt alia urbis istius illecebrae, frustra hic requiram. Nec tamen, si familiae meae rationes expendam, piget susceptae vocationis. Quicquid hic desiderabimus, Tu, mi Hugeni, litteris, affectu ac honesta mei recordatione supplebis. Amstelodami XIII May CIↃIↃCXXXI.

Vale, cum uxore et bellis Triumviris.

Matri, fratri, sorori charis tibi pignoribus opto [illegible].

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 49
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/605

Edele Heere
Mijn Heere Constantinus Huijgens
R. Heere van Zuijlichem, Secretaris
van sijn Hoocheijt, woonende in de
Hout-straete op 't Hoff,

franc

Hage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 49
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/605